D^r^. J. I. DOEDES.

ORATIO

DE

CRITICA STUDIOSE A THEOLOGIS EXERCENDA.

ORATIO

DE

CRITICA STUDIOSE A THEOLOGIS EXERCENDA.

ORATIO

DE

CRITICA STUDIOSE A THEOLOGIS EXERCENDA,

QUAM HABUIT

JACOBUS ISAACUS DOEDES,

THEOLOGIAE DOCTOR,

A. D. XXII JUNII, A. MDCCCLIX,

QUUM IN

ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

THEOLOGIÆ PROFESSIONEM ORDINARIAM

SOLENNI RITU AUSPICARETUR.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.

MDCCCLIX.

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI!

QUI HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICE!

DOCTRINARUM ET ARTIUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI! LECTORES DOCTISSIMI!

QUI IN HAC PROVINCIA AC URBE POTESTATE ET AUCTORITATE ESTIS CONSPICUI, VIRI HONORATISSIMI!

SACRORUM ANTISTITES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI, DOCTISSIMI!

HUJUS ACADEMIAE ALUMNI, COMMILITONES EXOPTATISSIMI!

CUJUSCUMQUE LOCI ET ORDINIS HIC ADESTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Si unquam quis in angustias adductus jure sibi visus est, profecto is ego sum. Quod omnino de difficultatibus dicere potuissem, cum gravissimo, quod hodie mihi auspicandum est, munere conjunctis. Multae enim sunt variique generis. Facile effecissent, ut anxio et sollicito animo ascen-

dissem in hanc Musarum sedem atque concionem. Sed fortis me animi esse jubet praeteriti temporis recordatio, experientiâ scilicet edoctum, difficillima quaeque superari Deo favente atque adjuvante. Quid igitur? In angustias adductus mihi videar propter orationem jam habendam, quae ut grata sit auditoribus quaestionem spectet necesse est, non nimis alienam ab aetatis quam vivimus studiis hujusque aevi desideriis? Non admodum leve profecto negotium, mihi praesertim subdifficile, si eleganter et subtiliter dicendum mihi esset ad benevolos mihi faciendos auditores. Humanitate vero et aequitate se commendant qui me jam audiunt, sine odio, sine invidiâ judicantes, benigne mihi faventes. Ad vos verba facere solatium mihi affert, quandoquidem ita mihi occasio data est communicandi, quid tandem quasi in angulo me captum ligatumque teneat.

Namque de munere, ad quod vocatus sum, de ipsius gravitate, de iis quae mihi peragenda incumbunt, cogitans, ecce incidi in libri cujusdam censuram, a Verbi Divini ministro conscriptam, quae, si vera ille loquitur, non pauca continere censenda est, quibus labefactentur quae vulgo tum ad rem Christianam tuendam afferuntur, tum in Euangelii praedicatione principem locum occupant. Eo tandem procedentem inveni censorem, ut lectoribus dicat, nihil iis superesse, nisi ut abeant in hominum libidinosorum, vel scepticorum, vel fanaticorum numerum, si idem ac Novi Foederis scri-

ptores judicantes, fidem habeant illorum narrationibus de miraculis, in Jesu historiâ obviis, atque ita experientiam bene probatam missam faciant. [1]

Jam vero mihi persuasum est de fide historicâ

[1] Ven. Ed. Busken Huet, in opere *de Gids*. 1859. 5, p. 696: „Wees zoo religieus en zoo wetenschappelijk als ooit *éénig* christen was, gij zult niet ontkennen dat feiten als de twee genoemde (de bovennatuurlijke Geboorte en de Hemelvaart), om van geen andere te spreken, niet minder uwe piëteit verstoren dan uwe wetenschap. Of laat mij liever zeggen: indien gij ontkent dat zij deze storenis teweeg brengen, bewijst gij daardoor dat het u geen ernst is met uwe studie der Bijbelsche geschiedenis. Want zoo gij nadenkt en met de hand op het hart uzelven onderzoekt, is het niet anders mogelijk, of de kennismaking met zulke gebeurtenissen moet althans aanvankelijk eene groote omwenteling doen geboren worden in uw geestelijk bestaan. Indien het toch waar is, ik meen indien het geschiedenis is, geen fantasie, dat eene israëlitische jonkvrouw eenen zoon heeft gebaard, of dat het ligchaam van dien wonderzoon, toen hij als een volwassen man aan een kruis gestorven maar kort daarna wederom levend was geworden, van den top eens bergs in Palestina is opgestegen in de lucht: dan behooren zulke feiten, zoo goed als de omstandigheid dat Jezus water in wijn veranderd, of een reeds tot ontbinding overgegaan lijk van nieuws met leven bezield, of twee pupillen geschapen heeft in de effen ruimte der oogappels van een blindgeborene — indien gij, zeg ik. een ernstig mensch zijt, en niet een dier ligtzinnigen die met zulke verhalen den spot drijven, of een dier ruimen van conscientie wien het onverschillig is wat zij verklaren te gelooven of niet, dan moet van tweeën een: of uwe door honderdduizend ervaringen gestaafde wereldbeschouwing zwichten voor die van het Nieuwe Testament, of deze Bijbelsche moet als onwezenlijk aan de uwe worden opgeofferd. In het eerste geval wordt gij of een wellusteling, of een scepticus, of een dweeper. Tenzij gij krankzinnig wierdt; wat onwaarschijnlijk, maar niet onmogelijk is...."

Euangelistarum, in iis quoque, quae de Jesu fatis factisque mirificis tradunt. E virgine Maria natum esse, miracula edidisse, mortuum in vitam rediisse Jesum, mihi constat. Quae si a me revera in historiam referuntur, ex censoris illius, viri sagacissimi, sententiâ, vel libidini me tradam necesse est, vel scepticismo, vel fanatismo, nisi, quod addit, mentis compos esse desinam.

Quid igitur mihi eveniet, cui minime in animo est negare, Jesum prouti ab Euangelistis proponitur esse Christum q. d. historicum; cui minime placet, approbare atque laudare sententiam eorum, qui Christum Euangelistarum „thaumaturgum" dicunt, sanctum quidem illum, at „thaumaturgum"?[1] Quid, quaeso, mihi faciendum est, qui ad instituendos et informandos futuros Ecclesiae doctores et pastores vocatus, inter alia et hoc profitebor: si miracula, quae Jesu tribuuntur, nullo modo edi potuerunt, de Jesu mortuo statuere nos oportet, illum in vitam revocari non potuisse; si Jesum in vitam rediisse negandum est, inanis Euan-

---

[1] Ven. Busken Huët l. l. p. 700: „Niets van dit alles neemt weg, dat de Christus der evangeliesche geschiedenis ons ontegenzeggelijk en bij uitnemendheid als een Wonderdoener wordt voorgesteld. In verreweg de meeste gevallen is er niets kleingeestigs of onedels in de gedaante waaronder hij daar als zoodanig optreedt: een toovenaar ja, maar een heilig toovenaar, vol majesteit en waardigheid."

„(Het) is noodig dat men den Menschenzoon .... scheide van den Thaumaturg. Want deze is het, en geen ander, dien de vier evangeliën ons schilderen."

gelii praedicatio est, vana fides nostra? O me infelicem, cui optio dari videatur, utrum missa faciam quaecunque ad hunc usque diem de Jesu Christo, Dei Filio unigenito, miraculis claro, a Deo suscitato et palam probato, cum Euangelistis et Apostolis et Ecclesiâ Christianâ credenda esse putavi, an vero libidini, scepticismo, fanatismo, immo insaniae me aliosque tradam!

Num miramini, A. A.! me mihi ut neminem in augustias adductum videri? — —

Miramini sine dubio, immo obstupefacti estis!

Quid enim? Alterum dilemma non existit, nisi illud de quo audivimus? Assentiendum nobis esset iis, qui recentioris q. d. critices nomine pro certo dicant, narrationibus Euangelistarum de miraculis nullam fidem esse habendam? Longe aliter res se habet, quod probandum esse censeo eâdem viâ, quâ secus sentientes suam stabilire conantur sententiam. Critices his nostris temporibus magna est laus et auctoritas. In eam multos audimus jurantes. Ubi critica, recentior scilicet, locuta est, ibi conclamatum est! Quaerere tamen liceat, an critica illa recentior, cujus effata subinde satis temere et inconsiderate propagantur, certa sit, an *ἀναμάρτητος* habenda. Ad veri nominis criticam, ad criticae recentioris censuram! Ne omnia explorare pertimescant theologi; ne criticam magni facere desinant! Sine criticâ quid theologia, quid theologus, qui criticam negligens similis habendus est maris fluctui, ventis agitato et jactato, *ἀκα-*

τάστατος, ut de viro duplici animo Jacobus, *ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ*? Theologis critica commendanda est, quae commendatio neque ab aetatis, quam vivimus, indole abhorret, neque Ecclesiae Christianae utilitati et emolumento inservire non potest. Vobis igitur ne displiceat, A. A.! me paulisper, pro meâ tenui parte, disputare de criticâ, studiose a theologis exercendâ.

Et primum quidem nobis agendum est de materia, in quâ omnis critica versatur. Subinde criticam loquuntur, ac si carere posset objecto, quod tractet. Criticam ita in abstracto proponunt illi, ut „cogitare" alii. Nonnumquam de eâ dicunt, ac si scientia esset. At vero nequaquam eam scientiam proprie sic dictam habendam esse, quis est quin videat? Ad scientiam ducit, a scientiâ proficiscitur; quid verum habendum sit inquirit. Quaerenti, quasnam potissimum res perscrutetur, equidem respondeo: quodcunque non indole suâ atque naturâ certum est, quod non ita in promptu esse videtur, ut disputatione non egeat. Quod vobis assentientibus jure dicitur de iis omnibus, quae ab aliis nobis tradita sunt, seu ore seu scriptis. Sit critices materia textus codicum manuscriptorum et librorum editorum; sint libri, ratione habitâ eorum authentiae et integritatis. At de his tantum agere critica non satis habet. Ad interiora, ad altiora festinat, quorum inquisitionem et investigationem sibi interdici non fert, non patitur,

non sinit. De rebus ipsis, de iis quae facta, quae dicta esse traduntur, agere appetit atque deposcit. Ipsam historiam tractare aggressa est, unde „critices historicae" nomen, quem latissimum historiae campum percurrens in examen etiam ea vocat, quae dicta sunt ab iis, de quorum vitâ historici narrant. Ita progrediens nusquam sibi fines praescribi tolerat, nisi quo, re ipsâ loquente, omnis critices termini esse censendi sunt; ubi scilicet de re agitur, quae in dubium venire non potest. Quod in Theologiâ de Verbo Dei, de *τῷ λόγῳ τοῦ Θεοῦ* statuendum est. Videat critica, quid in traditione falsum, quid verum sit; quid in iis, quae tradita sunt, jure Verbum Dei dicatur, exquirat! Ubi vero semel constat, ea quae ad Verbum Dei referuntur jure ita proponi, criticâ nil opus est. Ὁ *λόγος τοῦ Θεοῦ*, ut Jesus ait, *ἀληθεία* est, neque aliud quid esse potest, si quidem a Deo proferri nequit quod falsum est. Critices examinis *ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ* non indiget, quippe qui naturâ suâ, lucis instar, de se nec momento veri amantes dubitare aut incertos esse sinit. Ipse multo magis norma habendus est, ad quam ea, quae de Deo rebusque divinis docuerunt homines, exigamus. Idem, ni fallor, quo ad rei scilicet summam, non ita quod ad sententiae formam attinet, nuperrime de criticâ agens praedicavit theologus, in Germaniâ de criticâ in primis „historicâ" optime meritus; ex cujus sententia Scriptura Sacra, a Libris Sacris, ut ille statuit,

probe distinguenda, nequaquam a nobis in judicium vocanda est, quippe Verbum Dei et medium q. d. salutis. „Nos," inquit, „Christianos non decet in Scripturam Sacram crisin exercere, quum illa potius in nos crisin exerceat, κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας;" et de Christi discipulo idem ille sic judicat, eum et in theologicis se submittere Verbo, quod de Christo testetur, et unica atque suprema credendorum norma sit dicendum.[1] Cui Ebrardi sententiae, modo quae ille de Sacrâ Scripturâ asseveret dicta sint de „Verbo Dei," eo sensu, quo hac voce Sacri Scriptores uti solent, facile assentimur. Quod ad Libros Sacros attinet, eos materiam critices esse ipse quoque Ebrardus concedit[2], neque cuiquam negare licet. Critices ope pateat, quid in iis fide dignum sit, quid verum; quid eorum, quae dicta referuntur, ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ dici mereatur. Ejus objectum igitur esse statuimus quaecunque aliquando tra-

[1] Cl. Ebrard in opere *Real-Encyclopädie für prot. Theol. und Kirche, von Dr. Herzog*, in Art. *Kritik*, p. 90: „Die heilige Schrift, als Gottes Wort und Gnadenmittel, steht über unserem Urtheil; wir als Christen haben nicht Kritik zu üben an ihr, sondern sie übt Kritik an uns (κριτικὸς ..... Hebr. 4:12), und wer erst einmal als Christ in der Person Christi die Fülle des Heiles und der Wahrheit erkannt hat, der unterwirft sich wie als Christ so als christlicher Theologe dem Worte, das von ihm zeuget, als der alleinigen und obersten Norma credendorum."

[2] „Während aber die heilige Schrift über unserer Kritik steht, so bilden die heiligen Schriften einen Gegenstand der Kritik und kritischen Untersuchung." ibid.

dita sunt, i. e. traditionem latissimo vocis sensu, quae traditio textus est, quem critices examini submittimus, ut eâ ratione, quâ codicum textum recensentes spuria a germanis distinguunt critici, nos falsa a veris accuratissimâ disquisitione separemus.

Sed ne hoc postremum leviter tantum attingere videar, de industriâ quaeramus, quid de critices munere statuendum sit. „Ut nomen habet," verba sunt viri harum rerum periti,[1] „ita proficiscitur a judicando quid verum falsumve, probum vel vitiosum, sanum vel mendosum, rectum vel pravum, turpe vel secus, germanum suppositumve sit: indeque ad inveniendum progreditur, suum cuique tribuens, reprehenso falso verum restituens, ostensâ corruptelâ simul medicinam expromens, vel conjecturae felicitate, vel — namque de textu librorum sermo est, — vetustorum codicum auctoritate." Quod praeclare de criticâ dictum, quatenus textum scriptorum tractet, omnino de ea dici potest, quamcunque sibi materiam sumat. Ubique judicium et censuram exercens, „censendi judicandique munere sic fungitur, ut — fraudes suis vestigiis odoretur et demonstret, obscuris sive rebus sive verbis lumen affundat, depravata corrigat, laudet recta, reprehendat vitiosa."[2] Quaecunque tradita

[1] Wyttenbachii in *Vita D. Ruhnkenii.*

[2] Ruhnkenius in *Elog. Tib. Hemsterhusii.*

sibi tractanda, examinanda, dijudicanda sumens, a certis procedit ad incerta aut quae nequaquam omni dubio majora sunt, omnia perscrutans, librorum et textum et argumentum, quaerens an revera facta sint quae facta esse dicuntur, an vere dictum sit quod dictum esse traditur; non acquiescens in magnorum nominum auctoritate, ubi nondum plene constat, veri amantibus nihil aliud restare nisi assentiri. Critices munus igitur est, παρακολουθεῖν, quod Lucas Euangelista se fecisse dicit, ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, et cum Beraeis ἀνακρίνειν εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως. Videt ita critica, ne quae in tradita ficta irrepserint pro factis habeantur, ne quid respublica Christiana detrimenti capiat, errores pro veritate amplectens. Vigilans singula quam diligentissime perpendit. Praegustat omnia atque regustat, bonâ fide eorum quae tradita sunt nil accipiens, ne unquam soporis ream facere quis eam jure queat. Tiberii Hemsterhusii, illustrissimi critici, ob oculos vobis versatur effigies, A. A.? Talis critices imago, qualis illius oris figura! „Omnes in illo," ut ait Ruhnkenius,[1] „talem oculorum aciem, qualis lyncibus et aquilis tribui solet, mirabantur. Sed profecto mentis acies multo miranda magis. Nihil tam abditum erat, tam nihil retrusum, quod ejus acumen falleret. Nihil tam depositum ac prope conclamatum, cui non vitam et salutem redderet. Nihil tam artificiose simula-

[1] In Elog. Tib. Hemsterhusii.

tum, quin fraudem facile sentiret, et indiciis suis teneret." Tales critica amat, qualem Hemsterhusium fuisse notum est, ipsa scilicet oculos habens, quales lyncibus et aquilis tribuunt, iisque semper utens, ne eorum quae vulgus decipere solent quidquam ipsius acumen fallat. Quae autem, ex muneris sibi mandati ratione implacabilis semper et inexorabilis, ad negandum vocata est, ubi assentiri non licet, ad destruendum, ubi falsa cum veris permixta videt, hanc ne ideo destructivam, hanc negativam ne dicat quisquam! Veri nominis critica non potest non subinde negare et destruere. Nonnullos, praejudicatis opinionibus faventes, credenda negasse, tuenda rejecisse, hoc verae criticae vituperationi esse quis aequus judex censeat? Caeterum, qui ejus munus rite describendum sibi sumat, ne eam positivam dicat vel negativam, neque constructivam neque destructivam, neque *πίστον*, neque *ἄπιστον*. Hoc potius teneat, criticae incumbere (liceat pharmaceutas sequi, quorum ars aliquid habet, quod criticae privum propriumque est,), ut per solutionem et separationem eorum, quae ad veritatem cognoscendam sejungenda sunt, tandem perveniat ad depositum illud exoptatissimum et desideratissimum, veritatis perspicuam et dilucidam expositionem.

Quid autem, si de jure critices dubitandum sit? Quo tandem jure? Num credulis esse nobis licet? Num cuiquam istud imponere par est, ut ne in fidem historicam et veritatem inquirat eorum, quae

ei traduntur? Num sacrilegus dicendus est, qui ubi de vero sermo est suis quam aliorum oculis uti mavult? Quod ne in vos dictum esse censeatis, A. A.! ac si a critices studio vós aversos esse suspicarer! In vos, ni fallor, non cadit, ut hoc utar, facere cum Ecclesiâ Romano-Catholicâ, integrum Sacrae Scripturae Canonem sociis suis obtrudente, liberum examen penitus iis interdicente. In hoc incumbere iis licet, ex statutis Ecclesiae, „ut illum evincant solidisque antiquitatis traditionisque documentis fulciri ostendant."[1] O beatos Ecclesiae Romano-Catholicae socios, quibus illud saltem conceditur! At quânam tandem viâ, quum a criticâ vobis abstinendum est, pensum vestrum peragetis? Quid quod a criticâ vix abstinebitis! Etenim quidquid Catholico Sacrae Scripturae interpreti interdictum est, illustranda supersunt et ab Ecclesiâ tractanda conceduntur „quae ad criticam, philologiam, chronologiam, geographiam, historiam, archaeologiam etc. spectant." „In his," verba sunt doctoris Romano-Catholici,[2] „poterit Catholicus interpres ingenium suum exercere, prout potest in iis omnibus quae ad Ecclesiae fidem vindicandam conferunt." Quid autem faciendum, ubi quae vera deprehendit nequaquam cum iis congruunt, quae negare ei nefas est ex Ecclesiae decreto? Versio latina vulgata authentica est. „Adstruxit" Conci-

---

[1] J. Perronei *Praelectt. Theoll.* I. 199.

[2] Perronei, l. l. I. 198.

lium Tridentinum „conformitatem intrinsecam inter fontes originales et latinam versionem, ita ut in iis quae ad fidem moresque pertinent, ad res item et substantiam nullo haec errore scateat."[1] Quodsi autem interpres Romano-Catholicus antiquos codices Graecos inspiciens versionem illam textui Graeco non convenire inveniat, Ecclesia quid respondebit? Respondet: „Asserere Ecclesiam nobilissimam, Romanam videlicet, in tot conciliis Oecumenicis, dogmaticis definitionibus aliisque hujusmodi infideli usam esse versione, quae a textu circa fidem vel mores vel substantiam discreparet, absurdissimum est."[2] Quo ingenioso profligatus argumento miser interpres abeat, tritum illud „credo quia absurdum est" jam repetens. Meras nugas venditant, qui incipiunt a critices jure aliquatenus concedendo; penitus enim negare insania est; mox subsistentes omnia quae tradita sunt funditus examinare vetant! Humanae naturae hoc non consentaneum est. „Hominis est propria inquisitio et investigatio veri." Quod Tullianum ita non verum est, ut vos omnes sibi assentientes habeat! Ad liberum examen! De hac formulâ nostrâ gloriantes, jus critices vindicantes, ad liberam inquisitionem et investigationem procedimus, semper hoc statuentes: aut omnia, aut nihil; aut tradita accipere sine criticâ, aut germani critici partes

---

[1] l. l. I. 201.

[2] ibid. I. 202.

agentes omnem perquirere traditionem. Illud qui praescribunt velim explicent, quidni nobis idem licitum sit, quod libere fecerint traditionis auctores? Quid, quod Dominus ipse Jesus Christus ne verbo quidem de jure critices, quod jam ét Christianis omnibus ét Theologis in primis vindicamus, aliquid detraxerit! Inique judicare interdixit! Μὴ κρίνετε, inquit, κατ' ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε.[1] Quod certe ab eo non dictum est de accuratâ traditionis disquisitione, egregie vero quadrat in argumentum nostrum. Aequalium τοῦ κρίνειν desiderium non vituperabat Jesus, neque unquam illi in animo fuit, vetare discipulos, de iis quae viderent, audirent, legerent, secundum veritatis et aequitatis regulam judicare. Quid eum alioquin movisset, ut auditoribus diceret: σκόπει μὴ τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἐστίν[2]? Ad aequum judicium, exactum illud ad normam veritatis, egregie valet lux illa, quam satis supervacaneam sine dubio censetis, si criseos exercendae in rebus ad Deum salutemque animi aeternam spectantibus jus nullum vobis sit. At vero „est mora!" vos dicentes audio, persuasos scilicet ad unum omnes de jure critices inviolato. Ne igitur orationis taedium vos capiat, Paulinum illud praetermittam: κρίνατε ὑμεῖς ὅ φημι,[3] vos mihi assentientes me

[1] Joh. 7 : 24.
[2] Luc. 11 : 35.
[3] 1 Cor. 10 : 15.

habiturum existimans, statuenti, omnis traditionis, in primis vero ejus quae Codicis Sacri libris continetur, tum demum pretium nos facere posse, quum singulis indagatis, pervestigatis, dijudicatis, ipsi perspexerimus, quid tandem ita ut res se habuerint narratum, quid ex veritate dictum sit.

Sit ita, quis dicat; at nisi de critices norma constet, nihil criticos prohibet, quominus omnem traditionem in examen vocantes rejiciant quodcunque sibi displiceat, id tantum retinentes quod sibi convenire existiment. Etenim non omnes critici, ne in theologis quidem, praestantissimo illi critico similes sunt, de quo dictum est: „nihil sumebat temere, sed a certo cognitis et perspicuis viâ ac ratione progrediebatur ad ea, quae inde necessariâ consecutione efficerentur." [1] Quodsi recentiores omnes nihil temere sumsissent, quodsi viâ ac ratione a certo cognitis et perspicuis progressi fuissent omnes ad ea, quae inde necessariâ consecutione efficiantur, non ita inter se discreparent, ut quod certum esse putaret hic omnino negandum esse statueret ille, ut quod alter egregie vindicari posse censeret alter omni fundamento carere diceret. Quid hac nostrâ aetate critici statuunt de Sacri Codicis librorum auctoribus, quid de tempore, quo singuli libri conscripti sint, quid e. g. de Euangeliis Synopticis, de scriptis Apostolo Joanni tribuendis, quid de populi Israë-

[1] De Tib. Hemsterhusio Ruhnkenius.

litici historiâ, quid de Jesu Christi personâ, fatis factisque mirificis, quid de ejus doctrinâ? Nonne vides, omnia fluctuare, omnia dissoluta esse, idque magnam partem moderante criticâ illâ, tantopere a te laudatâ, quâ fere uti videntur theologi nonnulli tamquam clypeo, quo tecti destruere audeant quaecunque suis opinionibus et systemati obstent? Ipse videas, quam amice conspiret scholae Tubingensis sententia cum adversariorum doctrinâ de Ecclesiae Christianae primaevae historiâ; videas, quam nihil praejudicatis opinionibus se duci patiantur theologi, quorum lites et controversiae innumerabiles sunt, quamvis veri amantes et germanae critices studiosos se esse omnes contendant! Videas itaque, eos qui de jure critices nulli dubitent non sine jure omnino metuere, ne in subjectivismum ruant critici, nisi certa quâ obstringantur atque obligentur adhibeatur critices norma.

Non alia equidem sentio, ita respondeo, neque ullum unquam criticum sine quâdam normâ crisin exercuisse credo. Quid autem est, quod normae hîc locum tenebit? Num admitti potest quod vacillat, quod non sine petitione principii statuitur, quod omnino demonstrandum est? Hîc scilicet imitandi sunt qui veterum codicum textui in integrum restituendo operam navant. Variae adsint lectiones. Quid auctor scripserit quaeritur. Germanus criticus quid sibi faciendum ducit? A certo cognitis et perspicuis progreditur. Linguae, quâ liber conscriptus est, indolem, auctoris loquendi

usum, in censum venire jubet, quo fit, ut lectiones non ex opinione aestimet, verum certam normam adhibens objective, ut dicitur, rem dijudicet. Calami errores ita deprehendit; quae cum auctoris usu loquendi nequaquam congruunt rejicit. Eâdem viâ ac ratione progrediuntur qui de librorum auctoribus, aetate, integritate, de narrationis cujusdam fide historicâ, de doctrinae alicujus pretio recte judicare volunt. Quod omni dubio majus, quod luce clarius est, quod experientiâ, quod ratione commendatur, hoc critices norma sit; aliud quid ne admittatur. Quae norma, quum non fallat, quantopere sit commendanda unicuique sponte patet.

Nonne vero metuendum est, ne quam ita approbamus norma ad destruenda potius valeat quam ad tuenda quae ipsi credimus atque docemus? Nonne januam aperuimus iis, qui empiriam tamquam si unica critices esset norma laudant? Nonne iis faveo, qui omnia ratione metiuntur? Sine dubio, quis dicat, brevi concesseris, Jesum miracula non edidisse, et si de ejus personâ quaeratur, de ejus praeëxistentiâ personali, ne de aliis dicam, tibi sermo esse non poterit! Quod equidem etiam atque etiam nego. Quid enim docet empiria, ratione habita eorum, quae ab Euangelistis traduntur de Jesu fatis factisque mirificis? Miracula edi non potuisse, dicunt nonnulli. At quomodo hoc empiria docet? Docet empiria, ita fere illi, leges naturae perrumpi non posse; atqui miraculis naturae leges

perrumpuntur; ergo —. At vero, ni fallor, probandum est, fata factaque mirifica, quae Jesu ab Euangelistis tribuuntur, jure dici naturae leges perrumpere. Quod an nemo probaverit, nescio. Cujusnam syllogismi ope probatum fuisset? Num forte hoc modo ratiocinati sunt: quodcunque e legibus naturae cognitis explicari non potest, ipsum naturae ordinem excedat necesse est; atqui Jesu fata factaque mirifica e legibus naturae cognitis explicari nequeunt; ergo? Jam vero ipsi animadvertant, hîc aliquid desiderari, ut mirifica illa jure in *τῶν ἀδυνάτων* numerum retulisse videantur; ne quid dicam de naturae legum cognitione illâ, quam invocant quidem, perfectam autem atque absolutam esse comprobare minime possunt. Caeterum miracula sint *ἀδύνατα* quaedam. Mirifica igitur Jesu fata factaque posthac numquam „miraculorum" nomine notabimus. At ne certemus de verbis, ubi de rebus agendum est, nec quidquam in dijudicandis Euangelistarum narrationibus de miraculis vulgo ita dictis sumamus temere, sed a certo cognitis et perspicuis progrediamur ad ea, quae inde necessariâ consecutione efficiantur. Idem hoc memoriâ iis tenendum esse mihi videtur, qui de Christi praeëxistentiâ personali perhibent, „dogma illud," ut ajunt „rationi reclamare." Nonne incipiendum est ab iis, quae Jesus de se ipse professus est? Si praeëxistentiam realem vel personalem sibi ipse non tribuerit, ad alia transeamus; quodsi vero sibi ipsum eam tribuisse ex ipsius

verbis patet, quid tandem rationi reclamat? Consilium mihi attendenti, quo a Patre in mundum missus est, ut scilicet mediator, redemptor, servator esset, nos cum Deo reconcilians, a peccato nos liberans, secum conjunctos nos sanctificans, minime mirum videtur, Jesum Christum fuisse quem ex meâ quidem sententiâ se esse ipse dixit, non hominem tantum, ἀναμάρτητον illum, verum etiam Dei Filium, qui ante mundum conditum apud Patrem fuerit. Accuratae haec disquisitionis indigent, quam qui instituant eos experturos autumo, subinde ea, quae primum rationi repugnare videantur, deinceps penitus cognita atque perspecta magnopere se rationi commendare atque ipsâ tandem ratione comprobari.

Superest ut tractetur quaestio de critices methodo. Incipiendum esse a singulis rei de quâ disputatur momentis expendendis et dijudicandis, monere vix opus est. Quam accuratissime cognoscat criticus materiam crisi subjiciendam. Ne falli se patiatur eo, quod pluribus accidit; ne κατ' ὄψιν judicet! Omnes audiat testes; videat quid rei natura postulet; caveat ne disjungenda confundat aut copulatas divellat. In singulis vero materiae partibus contemplandis et explorandis ne ita subsistat, ut tandem prae partibus totum, prae arboribus silvam attendere obliviscatur. Disquisitio discursivo-analytica, ut recentiores dicunt, praecedat omnino necesse est; facile autem ad atomisti-

cam rerum tractationem eam ducere, quis est quin concedat? In circumjacentia igitur oculi conjiciantur. Quod prudentis interpretis est, itemque eorum, qui textum veterum scriptorum restituunt, illud numquam non cuivis criticae operam danti incumbit. Qui recte de germanâ lectione judicare amant contextam attendere solent orationem, quam consulunt etiam qui scriptorem bene intelligere student. Jam vero historia quoque suam habet orationem contextam! Quid, quod non facile in critices materia quidquam invenies, quod non cum alio quodam disquisitionis argumento sit conjunctum. Non sufficit igitur, singula de quibus agitur singulatim accurate spectare et examinare; comparanda illa sunt cum iis, quibuscum necessitudinis quodam vinculo conjuncta sunt. Consequentia cernat criticus, ut repugnantia videat. Quod critices praeceptum qui semper ob oculos habent, mirum est quam non facile in errorem rapiantur, quamque celeriter, in errorem ducti, sponte eum corrigant. Quod attinet ad errores eorum, qui consequentia non attenderint, hos non magno adeo impenso labore convincunt. Quod ipsa quam vivimus aetas confirmat. Quid enim plus ad Straussium refutandum et profligandum valuit, quam simplex illa quaestio: Si Christum suum Ecclesia finxerit, undenam Ecclesia Christiana ipsa? Concedamus quae de mythis Straussius; at quid tandem Jesus fecit et fuit, quidque illi accidit, ex quo discipulorum de eo cogitandi sentiendique

rationem explicandam esse jure statuis? Jesus cruci affixus est — et per eum Ecclesia Christiana exstitit! Quid ex his sequitur? Manet illa quaestio, ab Ullmanno in medium prolata: „Quid Ecclesiae a Judaeo in crucem acto conditae antecesserit?" quam quaestionem denuo [1] afferens, adversario vulnus inflixit vir egregius, ex quo ad hunc usque diem claudicat ille. Quod ad scholam Tubingensem attinet, quid respondebimus iis, qui nequaquam se intelligere queruntur, quâ tandem viâ ac ratione Paulus apostolus ad doctrinam illam pervenerit, quam in epistolis ad Galatas, ad Corinthios, ad Romanos professus est? Undenam Paulus? Hoc explices, quaeso. [2] Hoc explicare

---

[1] *Was setzt die Stiftung der Christlichen Kirche durch einen Gekreuzigten voraus?* In opere: *Historisch oder Mythisch? Beiträge zur Beantwortung der gegenwärtigen Lebensfrage der Theologie von Dr. C. Ullmann.* 1838.

[2] Egregie nuperrime Ven. de Pressensé in opere *Revue Chrétienne.* 1859. 5. p. 262: „Il est certain que ce grand génie, cet esprit élévé, cette homme incomparable, a admis tout le merveilleux des évangiles. Il a cru de toute son âme à la résurrection du Christ. De deux choses l'une: ou bien il faut rabattre des éloges qu'on lui donne, ou il faut donner quelque valeur à son témoignage. On ne peut à la fois le proclamer un grand saint, un grand esprit et prétendre qu'il s'est laissé prendre à une fable absurde, étant lui même si près des événements. Si l'élément miraculeux des évangiles est un tissu de légendes, il faut regretter qu'on n'ait pas soumis Saint Paul à un traitement pour les aliénés, et non pas lui tresser une si belle couronne. Si on conserve tant d'admiration pour lui, on ne peut passer si légèrement sur es affirmations les plus catégoriques."

criticos illos oportet omnes, qui satis temere hodie negare audent, Jesum e mortuis in vitam rediisse atque discipulis vere se conspiciendum praebuisse. Explicent hocce φαινόμενον, caeteroquin satis bene explicandum, apostolum Paulum, Pharisaeorum antea discipulum, Christianorum persecutorem, posthac (quamnam ob causam?) Jesu cruci suffixo totum se voventem, ejus Euangelium praedicantem, ecclesiae Christianae inservientem! Explicent φαινόμενον illud admirabile, inexplicabile, Ecclesiam Christianam, inter Judaeos et Graecos et Romanos radices agentem; inexplicabile scilicet, si quae de Jesu tradunt Euangelistae, de ejus factis fatisque mirificis, de ejus reditu in vitam, fabulis sint annumeranda.[1] Qui miracula rejiciunt, ne in eorum

[1] „Cet édifice grandiose du Christianisme a pour base une double superstition, celle du Maître et celles des disciples. Une fable juive quelque peu développée, voilà le point de départ d'une révolution immense qui met fin à un monde et inaugure une ère nouvelle. Jamais M. Pécaut ne donnera une explication satisfaisante de cette révolution sans pareille dans l'histoire religieuse de l'humanité; jamais il ne fera comprendre que des effets si merveilleux sortent d'une cause si mesquine. Son Christ, qui n'en est pas un, qui n'est qu'un Galiléen très distingué — — n'avait ni sainteté parfaite, ni autorité particulière. Il est mort comme l'un de nous, laissant seulement une mémoire plus pure, et pourtant il a fondé l'Eglise et des milliers d'hommes s'imaginent vivre de sa vie! Une pareille explication est une dérision, et il est singulier qu'elle paraisse claire et logique à des esprits superbes qui, au nom du dix-neuvième siècle, repoussent la folie de la croix. Folie pour folie, j'aime mieux l'ancienne; elle est plus raisonnable." Ven. de Pressensé, ibid. p. 266, 267.

locum aenigmata substituant! Qui obscuritates creant aenigmatibus suis, lucem petenti afferant.[1] Negatâ Euangeliorum Canonicorum fide historicâ, ex aëre pendet historia Ecclesiae primaevae, deficiente scilicet causâ, cui talis respondeat effectus. Quod quo certius est, eo dilucidius exponatur ab iis, qui hanc a nobis laudatam critices methodum comprobent. Aut fallor, aut illâ duce et auspice futurum est, ut quaecunque hodie de Jesu Christi personâ, historiâ, opere agitentur lites, mox consopiantur omnes, modo ne oculos dejiciant critici de arctissimo vinculo, quo Jesu Christi opus cum ipsius personâ conjunctum est; cujus vinculi haec est natura, ut qui de ejus personâ non recte cogitet, ejus opus ad mundi salutem recte cognitum

---

[1] Ven. Heinrich Lang, in opere: *Ein Gang durch die christliche Welt.* 1859. p. 201. „Die Heilung der Blinden, die Aufrichtung der Lahmen, die Auferwerkung der Todten, die Austreibung der Dämonen — sind das nicht fortwährend Wunder des Evangeliums? Das Bergeversetzen durch den Glauben, das Ueberwinden von Zeit und Raum, das Wandeln auf dem Meere, das Wirken im Nu in die weiteste Ferne — ist das nicht seitdem wirklich dem Menschensohn gelungen, der sich an dem Geist „jenes Menschensohns" entzündet und unter seinem Kreuze sich in sich selbst gesammelt hat?"

Ven. Ed. Busken Huet l. l. p. 694: „De ervaring leert, dat de meest stofbeheerschende personen op deze wereld niet zijn de christenen *qualitate qua*, maar onze weg- en waterbouwkundigen, zij die tunnels graven door het hart van Alpen en Apenijnen, telegraafkabels spannen tusschen Europa en Amerika, spoorwegbruggen werpen over zeestraten en watervallen."

Ita quod lumen alter accendisse videtur protinus alter exstinguit!

habere nequeat. O utinam omnes theologi unice probabilem critices methodum suam faciant, omnia vel antecedentibus, vel consequentibus, vel utrisque, quoad ejus fieri poterit, metientes. O nos felices, si omnes ejus praeceptis obtemperamus, atque ita de nobis dici potest, quod de germano critico numquam non affirmare poteris: quae non consequentia sunt rejicit, quae congruentia secum invicem conjungit, vera semper quaerens iisque praejudicatas opiniones cedere jubens, quum veritatem in quavis disquisitione grato animo amplectatur, atque candide, quidquid propterea rejiciendum est, profiteatur.

De criticâ ex proposito breviter disputavimus. De ejus materia, munere, jure, norma, methodo dicentes, non quidem de industriâ probavimus, eam studiose a theologis exercendam esse; at vel sic tamen e dictis facile illud effici non credere non possum. Res ipsa loquatur, seque ipsa theologis commendet ars illa praeclara et egregia, de qua idem fere quod de philosophia dictum est, dici potest. „Quis vituperare audet illam vitiorum errorumque expultricem? Quam qui vituperet nescio quid ille in rerum natura laudandum esse putet."[1] Se ipsa commendet, quae libere agens semper a licentiâ abhorret, die noctuque vigilans, Ecclesiae commodis inservire semper studens. Veritati ut

[1] Wyttenbachius.

prosit, ne vereamini A. A.! Illi nocere quî tandem possit? Erroribus enim infensa est et inimica omnibus, et quod ad veritatem attinet, olei instar in aquas effusi hanc sibi formulam propriam semper vindicat et vindicabit: LUCTOR ET EMERGO!

Emergit sine dubio, at luctando. Quod si verum est, ne ullus dubitet veritatis amans atque studiosus, quin et sibi luctandum sit. Quanto major luctatio iis futura est, quibus honorificum defertur munus, alios luce veritatis praeeundi. Quod munus et mihi in hac Academiâ a Rege augustissimo datum esse, quum acceptum referam suffragiis vestris, viri Amplissimi, Academiae Rheno-Trajectinae Curatores, non possum non magnam animi commotionem vobis etiamnunc significare. Me igitur viri eruditissimi ingentique doctrinae copiâ praeclari, de literis et theologiâ optime meriti, Hermanni Bouman, locum occupare vobis conveniens visum est Academiae, quam in deliciis habetis, atque utile lectissimis juvenibus, quibus prospicere atque consulere semper cordi vobis est! Beatum me praedico, quod ita de me sensistis, et gravissimam doctoris academici provinciam mihi dandam esse judicastis. Hoc autem est quod me deprimit. Opinionem vestram de me nonne aliquando fallam? Nonne verendum est, ne plus quam humeri ferre valeant apprehenderim? Procul

dubio naufragii periculum mihi instat, nisi humiliter et demisse de viribus meis doctrinaeque copiâ sentiens, animum semper intendam in Academiae et Ecclesiae salutem. Almam illam matrem pietate colo, quae me juvenem comiter excepit, optimis praeceptoribus instituendum tradidit, ad sacrorum antistitis munus capessendum praeparavit. Num hujus Academiae laudes unquam non dicam; ut ei prosim toto animo intensisque viribus non enitar? Utinam mihi concedatur, aliquatenus saltem, ei decori esse, atque ita quodammodo vobis, viri nobilissimi, satisfacere! Quod, enixe precor, emolumento quoque sit Ecclesiae, quam amare didici sedecim illis annis, quibus laetum Christi nuntium mihi afferre licuit. Si forte, Roterodami praesertim, Deo favente, experientia quaedam me docuit, spero fore ut magno hîc et mihi usui sint, et studiosae juventuti, cui totum me dicare mihi propositum est. Etenim munus, quod hodie auspicor, totum me habere ac tenere vobis persuasum sit. Mihi gratiâ vestrâ numquam non succurratis, quaeso, vobisque faveat atque prospiciat Deus O. M., ut vestrâ curâ floreat Academia nostra, omnesque ejus cives, bono auspicio laetoque animo, officio suo fungantur.

Doctoris academici munere ornari magno honori mihi duco, non tantum propter ipsius muneris praestantiam, verum etiam, quandoquidem ita mihi aditus patet ad vestrum amplissimum ordinem, Clarissimi Professores! Probe equidem novi, me

vobis, viris prudentissimis, sapientissimis, nil afferre, propter quod vos magnopere me desideretis. Quis enim ego inter vos, variis nominibus insignes, quorum praeclara fama est, quorum laudes merito Academia, patria, eruditorum orbis celebrant! Multa, mihi credite, apud vos discere vehementer cupio; vestrâ amicitiâ frui, ut meum ingenium alam, mihi benigne concedatis! Si vobis commendati sunt, qui quod verum, quod pulchrum, quod bonum est appetunt, me recipitote in benevolentiam atque gratiam vestram. Ego quantâ maximâ assiduitate potero vobis satisfacere conabor modestiâ, studio, fide. Mihi adsitis consilium candide petenti, auxilii vestri indigenti. Quod hodie a vobis petens non possum non memoriam renovare praestantissimorum virorum, quibus olim hujus Academiae alumnus in literarum et theologiae studiis ducibus uti mihi contigit. Schroederi et Heusdii et Goudoeveri scholas frequentavi; Visscherum et qui, eheu! nuperrime nobis ereptus est, Groenewoudium audivi; Heringam et Royaardsium praeceptores nactus sum. Quibus mortuis vos, Clarissimi Bouman et Vinke, praeceptores honoratissimi, superstites esse, gaudeo vehementerque laetor. Quod vos mihi non denegabitis, hoc tu mihi facile concedes, nobilissime de Geer, quem multos annos amicum habui certum et integrum, maximi faciendum, et a quo collegae nomine compellari eximio mihi gaudio est. Cumulare me pergas quibus me jam ornasti gratiae tuae beneficiis

et tuâ honorificentissimâ amicitiâ me prosequare precor. Ne frustra te rogem, clarissime Millies, ut mihi praesto sis, quotiescunque auxilio tuo quam maxime desiderato mihi opus erit. Cui theologiae studiosi multa jam debent, plura in posterum accepta tibi referant! Te conservet Deus O. M., mihique hoc largiatur eximium beneficium, ut te amico frui diu mihi concedat.

Praeteritum gratissimum tempus recordor, vos adspiciens, Clarissimi Bouman et Vinke! Scholarum vestrarum memoriam atque institutionis vestrae vestigia dies non delevit. Profecto non suspicabar, vestrum alteri me aliquando successorem, collegam alteri futurum. Quod quum mihi contigerit, jam tibi, Clarissime Bouman, de munere perfecto et cursu ad finem peracto gratulor. Rudem accipienti ne otium sit vacatio laboris in commodum studiosae juventutis, in gloriam Academiae tibi carissimae, in salutem Ecclesiae patriaeque! At quid ego plurimorum nomine te, qui in literarum et theologiae studio aetatem consumsisti, quid te, qui insatiabili eruditionis et scientiae desiderio ac studio duceris, jam adhortari videar, ut ne vacuus sis? Curis laboribusque, qui molestiam creant, vacuam tibi vitam concedat Deus, longam illam et prosperam; te corporis animique integrâ valetudine uti sinat, summumque gaudium, quo Christi discipulus his in terris compleri possit, benigne tibi largiatur. Pro humanitate tuâ tu prudentiâ et doctrinae copiâ tuâ me adjuves, atque ita

mihi ut olim prodesse pergas, quaeso. Num forte tibi, Clarissime Vinke, qui promotor quondam mihi adfuisti, et numquam non mihi prospexisti, num forte tuae benevolentiae me commendem? Utrum magnam me tibi gratiam habere dicam incertus sum, an potius repetam notum illud: „jam non ago tibi gratias; cui enim re vix referre possum, huic verbis non patitur res satisfieri." Te integrum diu salvumque servet Pater Domini nostri Jesu Christi; te domesticâ clade afflictum excitet atque sustentet; te ad munus bono animo peragendum confirmet. Mihi favere pergas, quod et abs te peto, Clarissime ter Haar, Rector magnifice! quem benevole de me sentientem jam cognovi. Qui scriptis tuis valde delector, tibi plura debere cupio. Amicitiâ, studio, amore Dei ejusque Filii Jesu Christi conjunctis, utinam hoc nobis concedatur, Clarissimi Vinke et ter Haar, ut Ecclesiae doctores et pastores informemus quam plurimos, qui hujus Academiae honos et laus, Ecclesiae decus et gloria dici mereantur. Vobis, collegae aestumatissimi, quoad ejus fieri poterit, satisfacere mihi omnino in votis est, atque in iis, quae studiosae juventuti prodesse censenda sunt, assidue vobiscum elaborandi magno desiderio teneor.

Audistis, praestantissimi juvenes, quos Academiae Rheno-Trajectinae desiderium atque ornamentum jure dicunt, quo ad vos veniam animo, qua inter vos versari cupiam mente. Factis comprobare, quam nunc multis verbis vobis significare malo,

me numquam non paratum futurum ad vestrum commodum promovendum. Me in fidem vestram recipiatis, atque bonâ gratiâ vestrâ me honoretis. Vos in primis, qui theologiae nomen dedistis, ducem me atque amicum habetote, quo suasore fidenter utamini, quemque bonâ existimatione prosequamini. Quae vestrae aetati atque conditioni conveniunt, non prorsus ignota mihi sunt. Magna spectare, ad ardua et honesta tendere, nonne hoc vobis quam maxime placet? Placeat igitur vobis et critica illa, de quâ dixi, sed quae feliciter exerceri nequit, nisi ab eruditis, veri amantibus, nisi a veritatis studiosis, magnâ doctrinae copiâ instructis. Omnis mea cura in hoc versabitur, ut vestrorum studiorum socium atque adjutorem me praestem attentum, diligentem, sedulum. Talem me recipiatis quaeso, quod quin omnes facturi sitis, equidem non dubito. Quod enim nonnulli vestrum scriptis mihi jam significarunt aut verbis, idem plerosque lubentes affirmare velle persuasum mihi est. Verum haec hodie ulterius non prosequar. Feriis jam vobis frui liceat faustis laetisque, et otio frugifero atque fructuoso, ut veri studio flagrantes huc redeatis, salvi, alacres, fortes!

Tu vero, Deus O. M., Spiritu tuo Sancto nos omnes imbuas, et per Filium tuum propitius nobis adsis, Academiae et Ecclesiae faveas, patriae nostrae prospicias!

DIXI.